



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

DANIELI FERDINANDO S.R.E. CARDINALI STURLA BERHOUET, S.D.B

Venerabili Fratri Nostro

DANIELI FERDINANDO S.R.E. Cardinali STURLA BERHOUET, S.D.B

Archiepiscopo Metropolitae Montisvidei

Mente memoriaque ad apostolicum Nostrum iter in caram terram Boliviae repetentes, singulari modo Deo gratias agimus de celebratione Eucharistiae in Platea Christi Redemptoris, in urbe Sanctae Crucis de Sierra, qua sollemni modo inauguravimus V Congressum Eucharisticum Nationalem Boliviae qui Tariiae proximo mense Septembri celebrabitur. Agitur de tempore orationis, meditationis atque eucharisticae renovationis, in quo peculiare pondus Sacramenti caritatis in vita et opera uniuscuiusque credentis clare demonstratur. Nosmet Ipsi, Qui diligentissimam damus operam ut eucharistica in Dei Populo fides vividior usque fiat, libentes precibus Nostris Congressum comitamur omnes eius participes misericordiae Deo concredentes.

Huius Congressus opportunitate data Venerabilis Frater Ansgarius Odemarus Aparicio Céspedes, Archiepiscopus Metropolita Cochabambensis atque Conferentiae Episcoporum Boliviae Praeses, humanissime Nos rogavit ut aliquem eminentem ecclesiasticum virum destinarem qui Nostro Nomine huic Congressui praeesse valeat. Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus qui, Ecclesiam Montisvidei per semitas Evangelii studiose ducens, aptus omnino videris ad huiusmodi munus congruenter explendum.

Idcirco harum Litterarum vi Te ipsum designamus *Missum Extraordinarium Nostrum*, mandatis Tibi factis, ut diebus XVI-XX

proximi mensis Septembris Tariiae sacris celebritatibus Nostro nomine praesideas atque Nostros pastorales sensus fidelibus ibi congregatis humaniter renunties. De Eucharistia loqueris atque

omnes adhortaberis ad spiritalem vitam per eam renovandam, fontem scilicet cuiusque formae sanctitatis.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, Sacrorum Antistitem Tariensem ceterosque Praesules et fideles qui Congressum participabunt salutamus, precibus Nostris eos comitamur atque Deum omnipotentem obsecramus ut omnes credentes in Christum, materno praesidio Beatae Mariae Virginis suffulti, praeceptum caritatis in vita cotidiana diligentius servare pergant.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis ibi adstantibus transmittendam, dum a vobis preces expostulamus, ut pergrave Petrinum munus secundum divinam voluntatem diligenter exercere valeamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIII mensis Augusti, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS